





Hi  
2004

Elogia Martyrum et Patrum Ecclesiae praeceptorum.

L. D. B. VI

AD

**AUDIENDAS VALEDICTIONES**

**DISCIPULORUM NOSTRORUM**

**INFRA NOMINATORUM,**

IN

**AUDITORIO MAJORI**

**DIE CRASTINO**

**HABENDAS,**

**VENERANDOS DNN. INSPECTORES,**

**PATRONOS, FAUTORESQUE**

**ET AMICOS NOSTROS**

**OEFFICIOSE AMANTERQUE**

**INVITAT.**

**M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold / RECTOR.**

**CIGNEE,**

**LITERIS FRIDERICIANIS,**

BIBLIOTHECA  
WINCKELMANNIANA





**S**iquis Martyrum sanctorum atque Patrum revolvat memoriam: quorum illi sanguinem suum pro Salvatoris gloria profundere non dubitarunt: hi in scripturis sacris interpretandis omnem operam impenderunt: nonnullos in eis reperiet tanta laude affectos, tanta charitate æstimatos; ut cognominibus novis in honorem pietatis & industriæ communi sanctorum suffragio insigniti fuerint. Prodeant in medium ex primis *Ætæ* Christianæ seculis, & quidem e I. Ignatius, Polycarpus, Dionysius Areopagita, e II. Iustinus, e III. Origenes, Gregorius, Cyprianus, Lactantius: & veritas sua lucē radiabit.

S. Ignatius, Episcopus Antiochenus, *Theophori* nomine circumferebatur: (a) quam vocem dubiæ interpretationis esse non ignorat Græcorum literatores. Nam aut *ἱεροδότης*, aut *ἱεροδοτός*. Græce scribi potest. Nec desunt, qui ultimam interpretationem propterea admittant, quod Ignatius idem ille fuisse dicatur, quem Christus ad se vocaverit, cum dixisset: *quicumque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno celorum.* (b) Enimvero priorem significationem cur non præulerim, nulla causa est: quod Ignatius fertur intimis animi recessibus Deum præ se tulisse, ignique charitatis (unde & ipsi nomen hæc fortasse) præ cæteris exarsisse. (c) Etenim, ut silentio tegam, hujus cor cum minutatim divisum esset, nomen Domini Jesu Christi literis aureis, uti alias legitur, in singulis inventum esse partibus, ut qui dixisset vivens, se Christum in corde habere; quemadmodum Vincentius ille Speculator memoriæ prodiit, (d) quem tamen eadem cum Jacobo de Voragine censura notandum judico, quod fabulosis traditionibus multa corrupit: si ullus illius ævi, hic certe Ignatius, innocentissimus veritatis testis, totus, quantus quantus fuit, divinis ignibus incaluit: totus inquam amore Jesu ad ultimum deflagravit: ex quo in vita antea facta cõtes igitas effectus erat sententias. Quales quidem invenio, quæ sequuntur: *qui me laudant, inquit, ipsi me verberant. Ego Ignatius sum minimus. Due in hominibus note inveniuntur, una veri numismatis, altera adulterini. Homo pius numisma à Deo signatum est, impius autem falsum numisma. Decet vos (Christiani) non solum vocari Christianos, sed etiam esse: nec enim vocari, sed esse beatum facit. Amor meus crucifixus est. (Quo verbo non Christum ipsum signasse videtur, ut vulgaris fert opinio: sed suam potius cupiditatem; quo sensu Paulus loquitur, cum ait: mundus mihi crucifixus est, & ego mundo, i. e. non est in me ignis rei ullius terrenæ amans, seu, non est in me ullus amor aut desiderium rerum terrenarum.* (e) *Non facio animam meam pretiosorem, quam me, ut eam plus amem, quam Dominum. Pro Christo à Syria Romam usque vincula circumfero spirituales margaritas. Si quidem tam facile Ignatius carnem exuit, quam quivis alius vestem exuisset.* (f) Polycarpo etiam, charissimo commilitoni, hoc injunxerat: *sa vero firmus, tanquam incus, que cuditur: magni est athleta cedi & vincere: maxime nos decet Dei causa cuncta sustinere, ut ipse nos in regno suo præstoletur.* (g) Super persona Christi posuit testimonium dicens: *ego vero & post resurrectionem in carne eum vidi, & credo, quia sit &c.* Cum jam ad bestias esset damnatus, & rugientes leones audiret, *σὶν ἡ ἰσὴρ ἡγεῖσθαι αὐτῶν, καὶ εὐχραῖαι τοῖς ὀδοῖν τῶν θηρίων ἀλεθῆναι, ἵνα ἀπὸ καθαρῶς εὐεσθῶν.* i. e. *frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Passus autem est anno XI. Trajani, jacentque ejus reliquiæ Antiochiæ extra portam Daphnicam in cœmeterio. (h) Lege plura, si placer, lector, in ejus epistolis, quas elegantes & plenas fervoris scripsit, in quibus amatorem sancti martyrii se fuisse demonstravit. (i) Et prodierunt genuiæ ex Bibliotheca Florentina, cum reliquis, quales vulgo habentur, cum epistola Barnabæ, opera Isaaci Vossii, qui & notas adjecit, Londini 1680.

Deinde Polycarpus, Smyrnæ Episcopus, audivit passim *Asie* totius Doctor & Christianorum Pater Deorumque everfor. (k) Johanne Evangelista usus erat magistro aliisque Apostolis, qui Dominum viderant. Tanti autem confessoris constantiam quis non miretur? Quis non miretur urgentem impetum viri atque fervorem, quando castiganda improbitas, taxanda doctrinæ depravatio? Nam Marcione ei obviam facto Romæ, & dicente: cognoscis nos? respondit: *γινώσκω τὸν πρωτότοκον τοῦ διαβόλου*, i. e. *cognosco primogenitum Diaboli.* (l) Rogatus

(a) Niceph. II. Hist. c. 35. (b) Matth. 18. 2. (c) Mestreu in edit. Paris. not. p. 7. Chemnit. Part. 1. Examini L. de traditionibus. (d) L. 10. Specul. histor. t. 17. Spizelinus in vet. Academ. Jesu Christi d. Ignatio. (f) Chrysost. in homil. d. S. Ignatio. (g) Epist. ad Polycarpum. (h) Hieron. epist. ad Dextrum. (i) Tribem. Catal. scriptor. Eccles. fol. 4. (k) Hieron. l. c. Euseb. l. 4. H. E. c. 4. (l) Hieron. l. c.

tus aliquando à Proconfulè, ut parceret ætati suæ, & juraret pervitiam Cæsaris, Christoque convitiaretur, quo mortis pœnam effugeret: *octoginta sex annos Christo, inquit, jam servavi, nec ullo me hæcenus incommodo affecit: quoniam igitur pacto Regem meum, qui me ad hoc usque tempus servavit incolumem, impiis laceßere dictis potero?* Triduo antequam comprehenderetur à persecutoribus, in visione nocturna lectum sub capite suo accensum igne & subito consumtum vidit: vnde collegit & prædixit fore, ut per ignem martyrio coronaretur. Tandem diversis in locis quæsitus, & inventus quærentibus mensam parari iussit; ipse interim preces Deo litavit. Ferunt corpus Martyris tanquam aurum vel argentum in camino ignitum bonam odoris fragrantiam adstantibus spirasse. (m) Sed vixdum rogo imposito corpori cesserunt flammæ: neque tamen miraculo divino tyranni (Antonini Verris Imp.) cessit crudelitas: gladio enim pium senem confodi iussit, quem ignis ipse comburere erubuit. (n) Reliquit epistolam ad Philippenfes, quæ paucis abhinc annis inventa & in Anglia primum evulgata est. (o) Reliquit vero & hoc, quod nescio an non illi præferendum, ut nullus Smyrnæ sanctitate clarior, ut Princeps Asiæ Hieronymo diceretur. (p)

Porro *Dionysius Areopagita*, primus, ut quibusdam placet, Atheniensium Episcopus, *Angelus* cognominatus splendidius cæteris inclaruit. Sic enim Menæus: *magnus Dionysius ob virtutes Angelus inter homines appellatus omnem caelestem cognitionem vel ut aliger affectus est.* (q) Nobilissima ortus familia Dionysiorum cum diu Senatori Areopagitico interfuisset, multaque fecisset, ut virum gravem decet, postremo cum uxore Damari, per St. Paulum, Apostolum, ad fidem Christianam conversus dicitur. Quanquam doctissimus Casaubonus negat, illum esse eum, de quo habetur mentio in Actis; solosque putat in hac luce literarum imperitos, & cum linguæ Græcæ, tum antiquitatis Ecclesiasticæ penitus rudes istud affirmare. (q) Dionysius autem gentilem superstitionem abdicavit, Christumque proprium & propitiorem unicum amplexus est: quam ad mutationem admirandus solis defectus in passione Domini observatus eum compulit: eo enim viso, cælesti instinctu percitus inclamavit: *aut Deus patitur: aut patienti compatitur.* (r) Licet vero per contemptum Christianus vocitaretur; haud tamen erubescerat tam felici nomine; quin potius, ut plures animas Deo suo lucraretur, nihil non curarum suscipiebat. Sicut inter alios Apollonaphanem, acutum Philosophum, simul cum Polycarpo cujus æque summa familiaritate fruebatur, tandem evicit, quem postea singulari ductus amore amorem sui cordis nominavit. (s) Jam martyrio maturus, jamque morti violentæ destinatus, Dionysius inter diros vulnerum crepitus piam hanc effudit vocem: *laudem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini sancto ejus.* Sed tortores, ut dolores Martyris suamque severitiam duplicarent, hebetata atque obtusa securi caput innocents abruperunt magis, quam reciderunt. Miraculi instar fuit, quod caput in manibus, cum jam amputatum esset, se erigens quasi tropæum aliquod secum abstulerit. (t) Libros de Hierarchia cælesti, item de divinis nominibus falso ei tribui, ostendit Becmanus. (u)

Jam vero, *Justinus Samaritanus Philosophus*, hodieque cognomine *Martyris* citari solet. Natus est Neapoli Palestinæ, patre Prisco Bacchio. Puer literis & studiis liberalibus impertiebatur; præcipue autem studiis Philosophiæ Platonicæ incubuit. Platonis enim eo tempore summa vigeat autoritas. Cui quidem Philosophiæ quantus admirator fuerit, quantumque morem & consuetudinem Philosophorum amaverit, in eo patefactum esse puto, quod habitu Philosophico Redemptorem humani generis prædicaverit. (w) Apologiam deinde pro innocencia atque integritate Christianorum scriptam Antonino Pio, quo imperante floruit, Christianorum nomine exhibuit. Cumque excellenti animo, virtute indefessa, industria inexhausta & incredibili constantia Romæ humanarum rerum sapientiam professus esset: in adversarium incidit Crescentem Cynicum: damnatus ad rogam Romæ obruncatus est. (x)

Justinum excipit *Origines*, Clementis Alexandrini discipulus, natione Alexandrinus, de quo relatum legimus, quod *Adamantii* nomine ab aliis fuerit distin-

ctus

(m) *Osfander* epitom. *Histor. Eccles. Cent. II. l. 3. c. 8.* (n) *Scultetus* *manilla Theol. c. 1. l. 2.*  
 (o) *Labbe* *dissert. Tom. p. 229.* (p) *Spizel. l. c. & Hieron. l. c. Græc. vet.* (q) *Exercit. rar. 16. p. 406.* (r) *Suidas* in *Dionysio.* (s) *Dionys. epist. ad Apollon.* (t) *Spizel. l. c. (u)*  
*In exercit. Theol. p. 506.* (w) *Scultet. l. c. c. 1.* (x) *Rivetus* *Tom. 2. oper. p. 1089.*

FKT, 2004

Epiphanius & Ruffinus refert: sex millia voluminum in S. Scripturas elaborasse. Vir certe magni & excellentis ingenii fuit, vixque studio & eruditione similem unquam habuit, de quo vulgaris doctorum hominum censura auditur; *ubi bene, nemo melius: ubi male, nemo pejus.* (y) Ipsi nominis Christiani hostes stupebant Patrem in omni disciplinarum genere versatissimum, Nam Dialecticam, Geometriam, Arithmeticam, Musicam, Grammaticam, Rhetoricam & omnium dogmata Philosophorum callebat, & magno ad eum concursu facto audiendi gratia, magnus Philosophus apud Græcos prædicabatur. (z) Sed non minori admirationi ejus fervor & constantia extitit: quandoquidem patrem Leonidem in carcere detentum adolescens adhuc ad martyrium fortiter ferendum animavit: qui cum capitis supplicio affectus esset, omnibus ejus bonis fisco adjudicatis, Origenes ad summam redactus est paupertatem. (aa) Nihilofecius in suo proposito Origenes perstitit, nec terrores aut minas timuit. Namque, cum pridie deliberasset patri ad locum agonis mane occurrere, quo pariter occumberet, vitam finisset, nisi mater, astute vestimentis noctu sublatis obferatisque valvis tabernaculi, domi gnatum coegisset manere. Quomodo nudis pedibus, idque multis annis, incesserit, in circuitu verbum Dei annuncians: quomodo super lectum plumis stratum nunquam dormiverit: quomodo se amore castitatis castrari fecerit: quomodo Mammea Alexandri Imperatoris mater, eum audiendi desiderio capta, ex Alexandria Antiochiam accesserit, ejusque mellifluam doctrinam cum ingenti admiratione audiverit: & nec cibum unquam nec somnum ceperit, nisi unus e fratribus lectionem scripturarum, cunctis audientibus, præmisisset: postremo ut vetus & novum Testamentum velut alter Esdras memoriter noverit: de eo consulendus est Abbas Spanhemensis, perspicuus scriptor, Johannes a Trittenham. (bb)

Origenem istum doctorem habuit *Gregorius*, a magnitudine miraculorum ab eo patrorum appellatus *Thaumaturgus*, cum antea dictus esset Theodorus, & Episcopatum Neocæsariensem sub Alexandro Severo, (tum enim celebrabatur maxime) illustri laude gessit. (cc)

Circa ea tempora *Cacilius Cyprianus*, Episcopus Carthaginensis, vixit, *Christianorum Episcopus* nominatus. Qui quidem ante persecutor Christi amarissimus, si verum est, quod a quibusdam traditur, sed post magnus Christi pugil evasit. Etenim vel afflictos solatus est, vel lapsos ad poenitentiam revocavit, vel collegis ovium curam commendavit, vel hæreticos impugnavit, præsertim Libellaticos & Novatianos. Testanturque ejus epistolæ, eum fuisse facilem, humanum, patientem, benignum, nec minus in officio gravem ac severum, prout postulat necessitas. Idem in martyribus excipiendis beneficus, in rebus agendis magnanimus & imperterritus, cautus præterea, prudens & circumspectus. Nam æditui sanctus munere, ad Episcopi dignitatem evectus, (licet omni conatu honoribus reluctaretur) quantum oneris sustineret, etiam atque etiam cogitavit.

Hiscæ Septem virtus addatur *Lucius Calvus*, a patria Firmio *Firmianus*, a lacteo dicendi genere, *Lactantii*, imo & *Ciceronis Christiani* sortitus nomen, adeo ut etiam Arnobium Præceptorem orationis elegantia & suavitate superaverit. Quocirca a Constantino Magno studiis Crispi Cæsaris præficiabatur, & propter diffusam & cum solo Cicerone conferendam eloquentiam Nicomedia in amplissima urbe publice artem dicendi docuit, floruitque sub Diocletiano. (dd) Sed ut ad rem veniam, priores tres in Academia Jesu Christi Professores oratione Latina publice narabant tres nostrorum discipulorum abiturientium.

I. JOHANNES WOLFFIUS HIPPE,

II. TOBIAS LEONHART,

III. PETRUS NESTLERUS, Cygnenses. I. narrabit vitam

*Ignatii*, II. *Dionysii Areopagita*. III. *Polycarpi*. Abiturientibus bene precabitur SIMON JOHANNES SCHINCKIUS, Werda-Misnicus. Sicut autem vitas sanctorum inspicere ad pietatem exercendam plurimum refertita hortamur hos & omnes Academiæ Candidatos, Martyrum imprimis memoriam ut in monumentis suis revolvant, indeque sibi, quæ imitentur, plurima capiant: Deumque rogamus, ut discedentes suo præsidio comitetur! P. P. Cygnæ d. 26. April. An. 1706.

(y) Scultet. l. 1. c. 1. l. 6. (z) Magiri Eponymolog. Crit. p. 142. (aa) Osiander. l. 2. Cent. 3. l. 1. c. 1. (bb) sol. 7. conf. Scultet. (cc) Bellarm. d. Scrip. Eccles. p. 57. (dd) Centur. Mag. d. b. Cent. 4. c. 10. Heins. Orat. pro Biblioth. 3. p. 29.



mc

Pom. Tli 2004, FK

ULB Halle 3

006 549 810



VDA 7







II  
2004

Elogia Martyrum et Patrum Ecclesiae proficitum.

Q. D. B. VI

AD

AUDIENDAS VALEDICTIONES

DISCIPULORUM NOSTRORUM

INFRA NOMINATORUM,

IN

AUDITORIO MAJORI

DIE CRASTINO


HABENDAS,

VENERANDOS DNN. INSPECTORES,  
PATRONOS, FAUTORESQUE  
ET AMICOS NOSTROS

OFFICIOSE AMANTERQUE

INVITAT.

M. GEORGIUS ANDREAS Winhold / RECTOR.



C I G N E E,

L I T E R I S F R I D E R I C I A N I S.

